


05

A

2067





33

E X P L I C A T I O
L O C I A P O S T O L I C I
Rom. 4. vers. 24.

D E C H R I S T I I N M O R -
T E M T R A D I T I O N E E T I N V I -
T A M R E S U S C I T A T I O N E ,

Quam

Auspicio Sacrosanctæ TRINITATIS,

In

celeberrimâ Academiâ WITTEBERGENSI,

S U B P R Æ S I D I O

D N . F R I D E R I C I B A L D U I N I ,
S S . T h e o l . D . e j u s d e m q ; F a c u l t . S e n i o r i s a c P r o f e s s o r i s
p u b l i c i , & p . t . D e c a n i , u t & t o t i u s D i o e c e s e o s E l e c t o r a l i s
S u p e r i n t e n d e n t i s G e n e r a l i s u t v i g i l a n t i s s i m i , i t a m e r i t i s -
s i m i , P r æ c e p t o r i s a c P r o m o t o r i s s u i f i l i a l i o b s e r -
v a n t i â æ t e r n u m c o l e n d i ,

*Disputatione Theologicâ publicè exami-
nandam exhibet*

M . A N D R E A S K E S L E R U S , C o b u r g o - F r a n c u s ,
F a c u l t a t i s P h i l o s o p h i c æ A d j u n c t u s ,

*In Auditorio Majore , ad diem 11. Octobr.
horis pomeridianis.*

W I T T E B E R G Æ ,

E x o f f i c i n a t y p o g r a p h i c a C H R I S T I A N I T H A M ,
A c a d e m . T y p o g r .

A N N O M D C X X I I I .



T E X T U S

Rom. 4. 24.

Ὁ σ παραδόθη διὰ τὰ ἁμαρτήματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν.

Vulgò interpret. *Qui traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter justificationem nostram.* Erasmi. *Excitatus est propter justificationem nostri.* Beza. *Traditum morti propter offensas nostras, & suscitatum ad nostri justificationem.* Tremel. *Qui traditus fuit propter peccata nostra, & resurrexit, ut justificet nos.*

E X P L I C A T I O.

Quæ in omnibus Scripturæ dictis enucleandis considerari & possunt, & debent, in hoc etiam Paulino loco, qui basin Christianismi continet, considerabimus. Sit ergò Membrum & Thesis

I. EXPLICATIO VOCUM. I. ΟΣ, respicit hæc particula ad v. præced. ut subjectum versiculi sit, *Ἰησοῦς ὁ κύριος ἡμῶν.* Vox *ΙΗΣΟΥΣ* quoad etymologiam secundum Basil. Magn. descendit ab *יאו* fano: *Osiandro*, à *י* interposito *ו* quem refutat *Flac. part. 2. Clav.* aliis à *ישי* salvavit. Unde *Jehoschua*, *Salvator Flac. ibid.* quoad attributionem tribuitur filio *Nun. Josuæ, Jos. 1. 2. Jesu Betsamitæ 1. Sam. 6. 3. Sacerdoti Solym. Estr. 3. Hagg. 2. Zach. 3. 4. Syracidi. 5. Justo Coloss. 4. 6. Christo, cujus respectu proprium est Phil. 2. impositum etiam in V. T. Zach. 9. Es. 64. Psal. 98. Gen. 49. in N. T. Matth. 1. Luc. 2. denotans totam personam & officium sacerdotale, regium, & propheticum, cujus typum gesserunt homines in V. T. ita appellatio, conveniens more prophetico propter certitudinem simul & efficaciam etiam ante incarnationem 1. Cor. 10. 3. Hebr. 13. 8. deniq; tam charum scriptoribus divinis, ut quinquagies in solis Paulinis epistolis occurrat.*

I.
EXPLI-
CATIO
VOCUM.
ΙΗΣΟΥΣ.

A 2

II. Vox



κύριος.

II. Vox ΚΥΡΙΟΣ respondet Hebræo יְיָ. Unde hoc per illud explicarunt LXX. in V. T. Frequentissimè tribuitur Christo in N. T. tum absolutè Rom. 1. 7. 1. Cor. 3. 2. Cor. 1. 2, tum cum adjectione Dominus noster Rom. 1. 4. & 4. 24. Gal. 1. 3. & 6. 18. Dominus vivorum & mortuorum Rom. 14. 9. Aliàs etiam Deo patri Luc. 1. 15. Aliàs absolutè, Deo essentialiter sumto Luc. 1. 6. & 2. 39. & cum adjectione Dominus caeli & terra. Act. 17. 24. Q. An hoc nomen proprium sit, an appellativum. A. post. Socin. contra Wiekum pag. 395. Quo de vide D. Hunn. in exam. error. Photin. Idem Socin. ibid. vult hoc nomen de Jehova ferè semper, sine articulo, de Christo cum articulo dici. Sed notante d. l. D. Hunnio, & cum articulo de Deo Matth. 22. 44. & c. & sine articulo de Christo Rom. 10. 9. vox illa usurpatur.

III. Articulus porrò ὁ quandoque subjecto: quandoq; prædicato additur Job. 10. & c. Excellentiam denotare dicitur à Smalc. cont. Smigl. l. 1. de error. nov. Arian. pag. 37. Quod tamen universale non est. Excellentia imprimis tum notatur, dum reduplicatio fit ut Job. 10. ὁποῦν ὁ καλός.

IV. ΠΑΡΕΔΩΘΗ est à παραδίδωμι trado. Significat hoc: verbum, relinquere & alicui committere, in manus tradere. 1. Maccab. 5. 51. Exod. 21. 13. Es. 33. 23. Proverb. 11. 8. derelinquere ac permittere, Rom. 1. 24. 26. 28. prodere 1. Cor. 11. Act. 16. 4. tradere vitam est Matth. 15. Notetur, quod hîc dicitur, Christum traditum esse, id explicatur 1. Timoth. 2. activè, quod Christus seipsum tradiderit. Eadem vox etiam Rom. 8. 32 adhibetur.

V. ΔΙΑ cum accusativo constructum significat 1. causam instrumentalem. 2. rationem, secundum quam aliquid fit, ut per ignorantiam aliquid agere. 3. circumstantiam temporis, ut per noctem. 4. efficientem motivam παρακαταρτήν vel proegumenam, ut Deus miseretur propter misericordiam suam. 5. finem, ut propter sanitatem sumuntur pharmaca. 1. Job. 5. Socin. in comment. explicat. & vertit per PER, uti Beza Rom. 3. 25. per remissionem peccatorum.

VI. ΠΑΡΑΠΤΩΜΑΤΑ sunt offensæ à παραπτάνω, quod est errante manu attingere, In V. T. apud LXX. huic nomini respondet חַטָּאת transgressio contra conscientiam Ezech. 14. 13. חַטָּאת respectus animi & oculorum Zach. 9. 5. חַטָּאת in iustitia Ezech. 3. 20. & 18. 26. חַטָּאת delicta Psal. 19. 13.

VII.

VII. ΗΜΩΝ Omnibus nempe, qui Romæ sunt dilectis Dei, vocatis sanctis, ad quos epistola conscripta est Rom. 1. 7. Quo ipso non excluduntur peccata aliorum hominum. Nam 1. non pro nostris tantum peccatis Christus est propitiatio, sed etiam pro peccatis totius mundi 1. Johan. 2. 2. Et 2. unius inclusio non est alterius exclusio.

VIII. ΗΓΕΡΘΗ. Ε γείρεσθ' usurpatur tum de personis, tum de rebus. De personis cum accipitur, significat: excitationem animi ad aliquid agendum 2. expergisci. 3. exurgere a seffione Act. 3. 6. 4. excitari a mortuis Matth. 27. 52. 1. Cor. 15. Rebus cum applicatur, notat operis constructionem.

IX. ΔΙΚΑΙΩΣΙΝ. Vox hæc in Politicis significat 1. rationem & jus. 2. mandatum & jussum. In N. T. usurpatur Rom. 5. 16. & significat ipsum actum justificandi seu remissionem peccatorum, atq; ita distincta sunt δικαίωμα, regula justitiæ, itemq; obedientiæ exemplum, δικαιοσύνη, habitus vel actio obedientiæ, δικάωσις, actus absolvendi. Qua de re Flac. in Clavi.

X. II. INDAGATIO SENSUS. Per traditionem intelligitur oblatio in pericula, dolores, cruciatus & imprimis in mortem Rom. 5. 6. Nam traditus est Christus, in manus hostium Judæorum. 2. iræ diviniæ: 3. peccatorum oneri. 4. angoribus conscientiæ. 5. deniq; morti pro solvendo λύτρω. Hoc λύτρωσιν insinuatur cum dicitur, traditum esse propter peccata nostra, ut sensus sit, Christum satisfacisse moriendo pro peccatis omnibus omnium hominum Es. 53. 1. Joh. 2. 2. 1. Pet. 2. 24. Hebr. 9. 12. Porro resuscitatus est Christus a mortuis propter justificationem nostram, quo fructus resurrectionis Christi indicatur, nostra justificatio, quatenus nempe per illam manifestavit & testificatus est Christus, solutionem pro peccatis nostris jam factam esse, & redemptionem perfectam, salutemq; & justitiam reparatam. Bellarminus per δικάωσιν vitæ sanctitatem intelligit. Sed malè, de quo infra.

XI. Sensus ergo dicti nostri est: Christus mortem sustinuit, eiq; subjectus fuit, ut pro peccatis mundi satisfaceret, eaq; expiaret: & resuscitatus est ex mortuis, ut testificaretur & manifestaret, hominibus justitiam & vitam paratam esse morte devictâ.

A. 3.

XII. III. RE-

III.
ANALY-
SIS LO-
GICA.

XII. III. RESOLUTIO LOGICA TEXTUS. Habetur hîc unum subjectum, quod est Christus, qui explicatur 1. nomine proprio, *Jesu*. 2. relatione, *Dominus noster*. Deinde duplex prædicatum, 1. *traditio*, quæ describitur tum à fine *cujus*, qui peccatorum expiatio, tum *cui*, qui sunt homines 1. *Tim.* 2. 6. 2. *resuscitatio*, *cujus* in præced. ver. notata fuit causa efficiens Deus, hîc describitur à causâ finali, declaratione seu manifestatione justificationis.

IV.
OBSER-
VATIO-
NES BI-
BLICÆ.

XIII. IV. OBSERVATIONES BIBLICÆ ad hoc dictum pertinentes. 1. *Vox Domini in Scripturâ aliquando absolute ponitur, aliquando cum adjectione*. Absolute plerumq; Christo in N. T. tribuitur, & quidem cum articulo. Revera enim Dominus est, qui proprio ac pretioso sanguine redemit Ecclesiam. Exempla sunt *Matt.* 28. 6. *Marc.* 16. 19. *Luc.* 24. 34. &c. Interdum tamen sine articulo *Rom.* 10. 9. *Rom.* 14. 14. &c.

XIV. 2. *Vox Jesu est quidem persona σωτήρ seu λόγος ἐνοσίχθων, nihilominus tamen etiam ante incarnationem quandoq; λόγω tribuitur*, 1. *Cor.* 10. 3. *Heb.* 13. 8. Nempe 1. quia eadem persona est λόγος ante & post incarnationem. 2. quia certitudinis causa S. S. ita loqui libuit.

XV. 3. *Personæ Christo tribuuntur 1. ea, quæ sunt unius naturæ propria, ut Christus mortuus est, 2. quæ sunt ἀποτελέσματα, quæ duas naturas involvunt, ut Christus mortuus est propter peccata mundi*. Illud enim convenit Christo secundum humanitatem (Quod est partis, secundum illam rectè toti tribuitur,) hoc secundum utramq; naturam.

XVI. 4. *In negotio redemptionis scripturæ interdum mortis Christi solum meminit, interdum resurrectionis tantum, interdum utraq; pars conjungitur, ut h. l.* Quando alterutra pars ponitur, altera subintelligitur, quia mors redemptoris & resurrectio se mutuò inferunt, vel secundum alios per synecdochen ponitur pars, intelligitur totum. Variatio illa loquendi & sufficientiam solutionis, & bonitatem solventis innuit.

XVII. 5. *Scriptores Biblici voce NOS interdum omnes homines propter omnium eandem rationem involvunt, interdum eos, ad quos scribunt, vel loquuntur, ab aliis separant*. Unde universaliter ex voce illa ad exclusionem aliorum non valet.

XVIII. 6. *Quæ competunt omnibus hominibus in genere, ea interdum specialiterius, ad quos scribitur, applicantur, vel timoris incurrendi, vel consolationis & confirmationis gratia*. Unde, nulla exclusio, sed

sed emphasis conspicitur. Quod vel inde patet, quod quandoq; ad individuum personam generalis conditionis fit applicatio, sine tamen generalitatis jacturâ. Pugnam carnis & spiritus Paulus Rom. 7. de se in singulari enunciat. Immeritò quis inde concluderet, eam non esse in aliis.

XIX. 7. *Ubi sermo est de subiecto adæquato, vel 2. cum emphasi & oppositione, ibi exclusiva locum habet, hoc est, de subiecto illo prædicatio fit cum exclusione aliorum. Nam & adæquatio exclusionem importat, & oppositio, ut Joh. 10. Ego sum pastor bonus. Solus E. Christus est pastor bonus. Deus est, qui justificat impium. Solus E. Deus justificat impium. Christus est traditus propter peccata expianda. Solus ergo Christus est causa meritoria salutis.*

XX. 8. *Traditio in scripturâ Deo variis modis tribuitur. 1. Tradit Deus ut justus iudex, in sensum reprobum ad interitum, vel in cupiditates Rom. 1. 26. 2. ut pius pater in calamitates ad salutem. 3. ut misericors Deus in λύτρον ad redemptionem, ut h. l. Illic traduntur impii, isthic pii, hic piorum & impiorum Salvator.*

XXI. 9. *Scriptura de expiatione peccatorum à Christo factâ diversis nominibus peccatorum utitur, ne quis ullum peccatorum genus missum suscipietur. Sustulit Christus ἀμαρτήματα Rom. 3. 25. ἀμαρτίας 1. Joh. 2. 2. ἁμαρτωμάτων 2. Cor. 5. 19. quæ omnia sub complexu τῆς κατὰ ἑσῆς Gal. 3. 13.*

XXII. 10. *In scripturâ solent plura membra exegeseos causa conjungi ad eundem effectum pertinentia. Ita ad opus redemptionis concurrunt passio & resurrectio, ad idem peccatorum expiatio & justificatio. Nihilominus membratim passioni & morti tribuitur peccatorum expiatio, resurrectioni verò justificatio. Nempe nec de morte Christi sine ejus resurrectione gloriosâ cogitari debet, nec de resurrectione sine morte ejus luctuosâ potest.*

XXIII. 11. *De actibus salutis dupliciter scriptura loquitur 1. ratione acquisitionis. 2. applicationis Justificatio convenit per Christum omnibus hominibus ratione acquisitionis, piis ratione applicationis. Ita Joh. 1. 9. Christus illuminat omnem hominem, hoc est, illuminationem offert, & peperit, licet non actu applicet.*

XXIV. 12. *Idem in scripturâ interdum bis dicitur eodem in loco, absq; tautologia, sed vel cum emphasi, vel cum exegesi, vel cum auxesi &c. Ita hic*

hic duobus versiculis immediatè coherentibus, resurrectio Christi bis inculcatur, sed alterâ vice finis ejusdem additur.

XXV. 13. *Scriptura Christum & se tradidisse commemorat, & à Deo traditum esse, quo tum spontaneam Christi passionem, tum salutarem in passione ordinem innuit. Tradit Christus seipsum 1. Timoth. 2. 6. Joban. 10. 1. Traditur à Deo Gal. 4. 4. Joh. 3. 6.*

XXVI. 14. *In Scripturâ interdum mors & resurrectio Christi finibus distinguuntur, interdum sine discrimine & peccatorum expiatio, & justitiae restauratio alterutri tribuitur. Illius exemplum est hoc loco hujus 1. Cor. 15.*

V. **U S U S T H E O R E T I C U S,** & quidem 1. *Orthodoxus* 1. contra Pontificios adhiberi hoc dictum potest, eos imprimis, qui volunt Christum satisfecisse tantum pro peccato originali, non actualibus & justificationem primam sequentibus, quæ est sententia 1. *Orthodoxus* Catharum &c. *Quicumq; mortuus est propter peccata nostra, ille pro iisdem, adeoq; pro actualibus peccatis satisfecit. Atqui Christus. Ergo. 1. Pontificios* Maj. prob. quia secundum Pontificios ipso Christus mortuus est pro peccatis ea expiando & pro iis satisfaciendo. *Παράπτωματα* autem sunt peccata actualia. *Min.* est in textu.

XXVIII. Imò in genere contra operum satisfactionem ex h. l. cum aliis parallelis collato & ex iisdem explicato licet argumentari: *Quorum expiandorum causa sufficienter Christus mortuus est, illa non indigent operum nostrorum satisfactione. Secus sufficientia non esset sufficientia. Atqui peccatorum actualium causa. Ergo.*

2. *Calvinianos.* XXIX. 2. Contra Calvinianos adhiberi h. l. potest de universali Christi merito, sed præmisso fundamento ex particula, *N O B I S.* Hac particula, quandoq; fermo est de beneficiorum Christi ad redemptionem pertinentium oblatione, aut notat omnes homines, aut non excludit alios. Illius exemplum est *Esa. 53* Nempe quia hac in parte omnium hominum eadem est ratio, siquidem Deus omnes conclusit sub incredulitatem, ut omnium miseretur *Rom. 11. 32.* Hujus *Rom. 5. v. 10. 18. & 19. 1. Joh. 2. 2.* *Qui mortuus est pro nostrum, hominum peccatis, ille non pro solis electis mortuus est, sed pro omnibus hominibus. Christus. Ergo.*

3. *Photinianos.* XXX. 3. Contra Photinianos adhiberi potest de satisfactione pro peccatis, nempe præsupposito, quod mori propter peccata, in hac materiâ notet expiationem & satisfactionem. Debent enim imprimis

nis in hac controversiâ plura loca de Christo moriente conferri, & unus ex altero explicari, ut velut ex pluribus herbis & ingredientibus simplicibus unum pharmacum efficax contra errorum morbos conficiatur. Quicumq; eo modo pro peccatis mortuus est, ut 1. fieret pro hominibus peccatum. 2. portaret nostros languores, 3. daret ἀντὶ τῶν ἁμαρτιῶν pro peccatis, 4. solveret, quod non rapuit. 5. fieret maledictum, ut homines à legis maledicto redimeret, &c. ille satisfecit pro hominum peccatis. Christus 1. 2. Cor. 5. 21. 2. Esa. 53. 6. 3. Hebr. 9. 15. 4. Psal. 69. 5. 5. Galat. 3. 13. Ergo.

XXXI. ABUSUS & quidem 1. Pontificiorum, Bellarm. l. 2. de sacram. c. 9. sensum dicti hunc facit: Per Christi passionem morimur peccatis, per Christi resurrectionem justitiam vivere vitam incipimus, ut præpositio PER non significet causam meritoriam, sed exemplarem Idem l. 2. de justif. c. 6. ait: Apostolus nomen justificationis tribuit potius renovationi internæ, quam remissioni peccatorum, ac per hoc docet non modò non constare solâ remissione peccatorum, sed neq; præcipuè eâ constare. Ita Beza super h. l. concludit, principalem justificationis partem esse renovationem vitæ. At erroris causa est. quod Pontificii putant sermonem hîc esse de exemplari causâ, quo de infra.

XXXII. 2. Calvinianorum. Bucanus instit. loc. 36. q. 30. ad quæ-
stionem: Quæ sint media propria & peculiaria à Deo electis ordinata, inter
alia dicit Patrem filium suum ordinasse, ut pro electorum justifica-
tione resurgeret ex Rom. 4. 23. Quasi locus hic noster Christi benefi-
cia oblata ad electos restringeret, iisq; propria ac peculiaria esse
annueret, quod falsum.

XXXIII. 3. Photinianorum. Socin. part. 1. de Servatore Christo. cap. 5. 3. Photi-
pag. 37. ex hoc loco conatur probare, Christum Servatorem nostrum
esse, quod resurgendo viam salutis nobis ostenderit, quia Christus
dicatur propter nostram justificationem resurrexisse. At quid aliud, in-
quit, est justificari, quàm coram Deo pro justo haberi, & proinde ab æternâ
morte liberari sempiternamq; vitam & salutem adipisci. Verum causæ fal-
lacia committitur, in particulâ propter.

XXXIV. VI. USUS PRACTICUS. 1. DISCE CHRISTIA-
NE, I. divinam misericordiam admirari, quæ Servatorem mundo PRACTI-
miserit Joh. 3. 16. 2. Christi erga nos immensum amorem pro hosti-
bus morientis Rom. 5. 10. 3. Filii Dei erga Patrem obœdientiam. Phil. 1. Doctrina
2. 8. 4. peccati magnitudinem, propter cujus expiationem Dei & infor-
matio.

B

VI.

mori debuit *Joh. 1. 29. 5.* iræ Dei æstus contra peccata, qui non nisi satisfactione Dei extingui potuit *Rom. 5. 11. 6.* peccatorum etiam, quæ tenuia videntur & *ἡμετέρας*, enormitatem. 7. incarnationis finem, ut nempe redemptio fieri posset *Galat. 4. 4.* 8. mortis Christi fructum, ut peccatorum fieret expiatio. *Rom. 8. 3. 9.* resurrectionis finem, ut justitia parta manifestaretur *1. Cor. 15. 17.* 10. humanæ naturæ corruptionem, quæ justificationis per alium indiget. *Esa. 53. 11.* Christi personam & officium, qui justitiam peperit. *1. Timoth. 2. 6.* 12. meriti Christi sufficientiam. Nihil ad peccata expianda operum merita, nihil defunctorum suffragia, nihil sanctorum perfectiones. Sola fidem meritum Christi apprehendere valet. *Rom. 3. 28.* 13. fidei naturam, per quam singuli sibi meritum Christi applicant. *1. Cor. 1. 30.* Factus est nobis justitia. 14. justitiæ certitudinem. Deus enim resurgendo eam restituit. *Luc. 24. 46. 47.* 15. resurrectionis nostræ firmitatem. Si caput surrexit, surgent & membra. *1. Cor. 15. 12.* 16. breviter summam & nucleum Theologiæ: Mors Christi peccata tollit, resurrectio justitiam reddit. *Rom. 10. 9.*

2. Adhortatio.

XXXV. 2. STUDE CHRISTIANE ut 1. diligas Deum qui te dilexit, & gratias age corde, ore, opere. *Psal. 103. 1. 2.* ames Christum fratrem, qui tui loco mortuus est, *Rom. 8. 32.* 3. descendas in Te ipsum, cujus causa Deus homo factus est. *Joh. 1. 14. 4.* lugeas peccata, quæ Christum tradiderunt, *1. Petr. 2. 24. 5.* compungaris corde, quod tui causa Christus compunctus est in cruce *Col. 2. 14. 6.* veram concipias fiduciam, in Christum redemptorem. *Rom. 10. 9. 7.* confitearis peccata, ut per mortem Christi remittantur. *1. Joh. 1. 9. 8.* tradas te pro Christo, Deo volente, qui se pro Te tradidit. *Tim. 2. 6. 9.* moriaris peccatis, quia Christus mortuus est pro peccatis. *1. Cor. 15. 3. 10.* resurgas à peccatis ad justitiam, quia Christus resurrexit ad justificationem. *2. Cor. 5. 15. 11.* tradas te pro proximo, quia pro utroque se Christus tradidit. *1. Tim. 2. 6. 12.* Tradaris à Deo, ne temerè pericula incidas. Qui amat pericula, peribit in eis. *Syrac. 3. 27.* Traditus est Christus à Patre.

3. Consolatio.

XXXVI. 3. GAUDE CHRISTIANE. Nam 1. Si lex te accuset, Christus pro te mortuus est. *Ephes. 5. 2. 2.* Si peccatum urgeat, Dei gratia abundat super peccatum. *Rom. 5. 20. 3.* Si Sathanas terreat, Dei filius eum moriendo divicit. *Hebr. 2. 14. 4.* Si delictorum multitudo premat, infinitus Deus est, qui satisfecit. *Act. 20. 28. 5.* Si mala conscientia

scientia angat, purus Dei agnus conscientiam mundat *Hebr. 9. 14. 6.* Si mors irruat, Princeps vitæ mortem destruxit *1. Cor. 15. 55. 7.* Si moriendum, Christus mortuus est, & resurrexit. Resurges & tu per Christum. *1. Cor. 15. 13. 8.* Si sub cruce patiendum, & Christus passus est, ac vicit. in hoc tu quoque vinces *1. Joh. 5. 4. 5. 9.* Si dubitatio de gratia Dei suborietur, & propter NOSTRI justificationem Christus resurrexit *1. Joh. 2. 2. 10.* Si omnia contra nos, Deus Dominus noster pro nobis, quis contra nos? *Rom. 4. 31.* O immensam consolationis abyssum!

XXXVII. 4. CAVE CHRISTIANE. Ne i. gratiâ Dei miserentis per securitatem abutaris. *Rom. 6. 1. 2.* Christi meritum per impietatem faciat in te fructu suo destitui, & velut de novo Christum crucifiges *Hebr. 6. 6. 3.* peccata parvipendens, ut naves exiles. Qui deficit in uno, omnium reus est *Jacob. 2. 10. 4.* tradas te peccato mancipium, à quo Christus per mortem te reddit liberum *Rom. 6. 2. 5.* peccati servitium accipias, ut Christi dominium excutias *Rom. 6. 12. 6.* perpetuò cum mundo peccando nunquam Christo & cum Christo resurgas. *Rom. 6. 4. 7.* justitiam per Christum oblatam infidelitate repellas *Rom. 11. 20. 8.* Sathanæ Te tradas, pro quo Deus te tradidit exemplo Judæorum *Johan. 8. 44.*

XXXVIII. VII. PROBLEMATUM. Quæritur I. An Christus pariendo ac moriendo sibi aliquid promeruerit, nempe, exaltationem. Affirmat *Bellarmin. l. 5. de Christo c. 9.* Christum operibus ac laboribus suis non solum nobis omnibus gratiam & gloriam acquisivisse, sed & aliquid sibi ex *Philip. 2. 9. Hebr. 1. 9.* testimonio quorundam Patrum, & ratione, quia melius sit, cæteris paribus, aliquid ex merito habere, quàm sine merito. Cum eo & Calviniani nonnulli consentiunt, & Photiniani, ut ex *Eniedin. in explicat. locor. p. 323.* patet. Nos negativam tuemur, & ita argumentamur: Quicumq; 1. propter nos & nostram salutem natus est ac in mortem traditus. 2. exaltationem ex dono accepit. 3. majestatem divinæ essentia quoad actum primum & jus majestaticæ gubernationis habuit ex unione naturarum in unâ personâ, ille non promeruit exaltationem suam, nec ut promereret, in mortem est traditus. Christus propter nos & nostram salutem natus & traditus est, *Rom. 8. 32.* exaltatus est ex dono *Philip. 2. 9. ἐξ αἰσίου το.* 3. gloria divina per unionem personalem, quoad actum primum & quoad jus majestaticæ gubernationis fuit

*particeps Colos. 2. 9. Erg. Majorem confirmamus. Nam quoad 1. intelligitur finis adæquatus & unicus, qui excludit alios in eodem genere. Aliàs sanè unius rei plures possunt esse fines, ut à positione unius ad alterius exclusionem non liceat argumentari. Quoad 2. repugnant ex dono gratuito aliquid accipere, & per meritum impetrare. Quoad 3. repugnant, aliquid alicui per se naturaliter competere, & id ipsum demum sequi per aliam causam meritoriam demum acquirendum. Excipit quidem Bellarm. c. 10. inquiens: *Quia prohibet id, quod accessorium est, cadere sub meritum? Etsi enim jam debitum est ratione ejus, cui accedit, tamen potest etiam cadere sub meritum, ut alio quodam titulo debeatur. Et quod debetur uno modo, potest deberi etiam alio modo.* Sed nihil promovet. Debebat hoc pro probare, aliquam promerere patiando. id, quod jure naturæ ipsi ante competit. Argumenta contraria quod artinet, dicta Scripturæ non intelligenda sunt de causa rei & merito, sed de consequentiâ & ordine, quomodo *Luc. 24. 26.* explicantur. status Christi exinanitionis & exaltationis, & nos per multas tribulationes in regnum cœlorum interoire asserimur: Patrum dicta commodè explicanda sunt, vel excusanda: ratio denique levior est, quàm ut responsione operosâ indigeat.*

XXXIX. Quæritur 2. *An Christus traditus in mortem per hanc, tanquam per λύτρον pro peccatis generis humani satisfecerit.* Negativam suam faciunt Photiniani, statuentes, Deum gratiâ suâ & bonitate absque satisfactione intercedente peccata remittere, Christum autem solum exemplo suo docuisse salutis viam, & sic imitationis causa traditum esse, ut nos exemplar in ipsius vitâ, mente, exaltatione cerneremus. Nos affirmativam supra stabilivimus: hîc solum notamus, tum Pontificios tum Calymianos huic doctrinæ per hypotheses fenestras aperire, utut aliàs Photinianis sese opponant. Illi quidem per negationem imputationis meriti Christi, doctrinam de fine passionis, quod robur nostris operibus promerendi vitam contulerit, assertionem de satisfactione Christi, non ex sufficientiâ meriti, sed gratuitâ Dei acceptatione &c. hi potissimum per absolutum electionis decretum.

XL. Quæritur 3. *An Christus se tradiderit tum pro culpis omnibus, tum pro culparum pœnis?* Scholastici quidam disputant, Christum mortuum esse ac satisfecisse, solum pro peccatô originali, nostrum autem esse.

esse satisfacere pro actualibus. *Alii statuunt satisfacisse Christum pro omnibus quidem peccatis, pro pœnis tamen nostras requiri satisfactiones. Qui plus concedunt, agnoscunt quidem satisfactionem Christi pro pœnis æternis, temporales autem per nostras satisfactiones avertendas contendunt. Ut ita gravissima sit in gravissimo salutis negotio Scholarum Pontificiarum dissensio. Concil. Trident. suam mentem explicat s. 14. c. 8. p. 230. Sancta synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur p. 13. Nos scimus, omnem culpam per Christi satisfactionem remitti, & remissâ culpa removeri etiam pœnam, in quantum est pœna, cum negata causâ removeatur effectus. Et ideò remittuntur culpæ, ut auferantur pœnæ. Satisfecit Christus pro omni peccato. 1. Johan. 1. 7. pro omni pœnâ, quia traditus est pœnisq; subjectus, ut pax esset nobis Esa. 53. 5. Quantum autem Pontificii operum suorum satisfactioni tribuunt, tantum meriti Christi sufficientiæ detrahunt.*

XL L. Quæritur 4. An Christus secundum utramque naturam pro peccatis in mortem traditus sit? Dicimus 1. licet secundum humanitatem tantum Christus mortuus sit, cum secundum Deitatem mori non potuerit, ut tamen ipse DEUS sit mortuus, tamen pro peccatis hominum θεὸν ἑαυτοῦ ipsum esse mortuum & satisfacisse secundum utramque naturam. Illud est ἐνέργεια, hoc δὲ ἀποτέλεσμα, in quò utraq; natura concurrat, agens, quod suum est, cum communicatione alterius. 2. consequenter secundum utramque naturam Christum esse nostrum mediatorem, contra Bellarm. l. 5. de Christo c. 1. 2. 3. & seq. Finis siquidem incarnationis, unionis & communicationis idiomatum fuit, ut posset pro nobis legi & iræ divinæ satisfieri. Quicumq; pro nobis satisfecit, quatenus moriendo æternam redemptionem sufficientissimo λύτρωσιν invenit, ille satisfecit & secundum divinam & secundum humanam naturam Ratio est, quia sine humanitate mors non est (de humanâ enim morte sermo est) & sine divinitate pondus non est. Utraque ergo ad λύτρωσιν sufficientiam requiritur. Atqui Christus ita satisfecit, Ergo. Unde Deus dicitur, reconciliasse sibi per Christum 2. Cor. 5. 18. Insuper secundum quam naturam Christo conveniunt opera ad Mediatorem requisita, secundum eandem etiam est mediator. Atqui secundum utramque naturam opera ad mediatorem requisita.

Christo competunt. E. Min. prob. Superare diabolum & peccata tollere est opus mediationis, & requirit divinitatem, moriendo peccata tollere est ipse actus mediationis, & ita utriusq; naturæ ἐπέγειαν requirit.

XLII. Quæritur 5. *An Christus seipsum resuscitaverit? Respondemus & patrem Christum resuscitasse, seu Deum Rom. 4. 23. Act. 13. 30. & Christum semetipsum Joh. 2. 19. Joh. 11. 10. 18. Resuscitatus igitur est Christus, non ut alii per virtutem supernaturalem, alienam, sed per propriam, eamq; divinam, quæ essentialiter est λόγος, personaliter per realem communicationem verò assumptæ carnis. Si porrò quærat, an humana natura in Christo seipsum excitaverit, respondemus cum Theologo celeberr. Dn. D. Hunn p. m. l. de personâ Christi pag. 102. λόγον excitasse corpus virtute illâ: quæ ipsi corpori realiter quidem communicata, in morte tamen ratione usus evacuata fuit, animam verò ad vivificationem vi unionis suo modo concurrisse.*

XLIII. Quæritur 6. *An resurrectio Christi sit non causa nostræ justificationis, sed exemplum, quo doceatur præcipuam justificationis partem esse vitæ renovationem. Ita quidem volunt Bellarm. & Perer. in locis supra allegatis, sed perperam. Nam 1. justificatio hîc non significat vitæ renovationem, cujus quidem aliàs nos commonefacere Christi resurrectionem ex Rom. 6. 4. constat, sed illam, quâ de toto c. 3. Apostolus loquitur, receptionem hominis peccatoris in gratiam, per fidem, qua etiam orditur c. 5. v. 1. Versatur enim adhuc in causis justificationis explicandis, non fructibus. 2. Particula per non notat causam exemplarem, quod vult Bellarm. sicuti nec notat, quando de peccatis sumitur, sed causam finalem. 3. Est igitur resurrectio testimonium superatorum hostium spiritualium, expiatorum peccatorum, & justitiæ restauratæ. Videatur Reverend. & Excellentiss. Dn. Praeses. Comment. Rom. p. 322. 323.*

C O R O L L A R I A.

I.

An ex eo, quod vox satisfactionis in Scriptura non reperitur, suspecta ac dubia reddatur doctrina de satisfactione Christi pro peccatis mundi? N. Ab absentia vocis ad negationem

gationem rei non valet consequentia. Et licet in doctrinâ de redemptione generis humani vox satisfactionis non habeatur res tamen ipsa terminis æquipollentibus variis exprimitur, id quod sufficit. Ufurpant & Photiniani terminos, qui in Scripturâ expressè non habentur, nec tamen propterea concedunt, ut res ipsa in dubium vocetur.

I I.

An ubi plenaria satisfactio pro culpâ ac pœnâ, ibi possit esse gratuita remissio. A. Si 1. remittens ipse ex gratiâ satisfactionem procuravit. 2. Si eadem sit causa, ex qua Satisfactio fluat & remissionis gratia. 3. Si ex gratiâ acceptetur satisfactio.

I I I.

An pars læsa possit esse mediatrix? A. Scriptura utrumque dicit & Christum tanquam verum Deum esse partem offensam per peccata nostra, & eundem esse mediatorem ac intercessorem. Cum ergo absolum sit & ἀπολογον dicere, quod scriptura sacra ὄντως contradictoria proponit, ideò non ita fuerit argumentandum: Pars læsa nequit esse mediatrix. Christus est pars læsa. E. nequit esse mediatrix, vel: est mediator. E. nequit esse pars læsa: Sed hunc in modum: Christus est pars læsa. Christus est mediator. E. quidam. qui est mediator, potest esse pars læsa. Tacemus, quod nec in foro Politico absurdum sit, ut idem sit offensus & intercessor.

I V.

An plus diligat, qui pro alio satisfacit, quàm qui satisfactionem pro eo factam accipit, adeoq; posito, Christum pro nobis satisfacisse, sequaturne, ipsum ardentius nos amasse, quàm Patrem, qui satisfactionem accipit, Et consequenter, an plus debeamus filio, quàm Patri? N. Absint tamen profanæ de Deo cogitationes non ex liupidis Israelis fontibus haustæ, sed ex pollutis humanæ cæcitatibus lacunis petitæ. Scripturâ docente & Patris est ardentissima dilectio, qui filium misit, & filii, qui se obtulit, eademq; ex charitatis abyssu missio ac satisfactio promanavit. Uni Deo immortales debemus gratias, à quo nostra est restauratio, cum ordine personarum.

V. An

An ex eo, quod filius sit ipse mediator, non possit invocari per mediatorem, adeoque non sit verus ille unus ac summus Deus? N. Nam 1. potest ille, qui est mediator, per seipsum, ut mediatorem, sive per meritum suum & λύτρον invocari. 2. Absolutè Deus consideratus invocatur in essentiæ unitate, atq; ita tota sacrosancta Trinitas, ut λόγος tanquam persona media minime excludatur. Absit iterum humana speculatio, ne excludatur divina revelatio.

DEO TRIUNI SIT GLORIA
IN SEMPITERNA
SECULA.



05 A 2067

ULB Halle 3
003 784 819




VD 17

601







33

EXPLICATIO
L O C I A P O S T O L I C I
Rom. 4. vers. 24.

DE CHRISTI IN MOR-
TEM TRADITIONE ET IN VI-
TAM RESUSCITATIONE,

Quam

Auspicio Sacrosanctæ TRINITATIS,

In

celeberrimâ Academiâ WITTEBERGENSI,

SUB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI BALDUINI,

SS. Theol. D. ejusdemq; Facult. Senioris ac Professoris
publici, & p. t. Decani, ut & totius Diœceseos Electoralis
Superintendentis Generalis ut vigilantissimi, ita meritif-
simi, Præceptoris ac Promotoris sui filiali obser-
vantiâ æternum colendi,

*Disputatione Theologicâ publicè exami-
nandam exhibet*

M. ANDREAS KESLERUS, Coburgo-Francus,
Facultatis Philosophicæ Adjunctus,

*In Auditorio Majore, ad diem 11. Octobr.
horis pomeridianis.*

WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

